



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Dif. 5. Infertur qualis sit processus in Actu Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

RESPONSUM supra. Certitudinem objectivam peti ex formali, eamque reperiri etiam in fide naturali, quæ fallibilis est ratione principii, sed non ratione formalis motivi: quod idem supponitur in utraque fide: quantumvis certitudo subjectiva possit haberi ex modo tendendi. Casu autem quo moveatur sive naturalis sive supernaturalis fides, vera revelatione, in consortio aliorum fallibilium; si illa accipiantur non per modum motivi, sed conditionis applicantis, erit assensus infallibilis: secus si assumantur ut motivum: neque enim posset esse assensus infallibilis, si motivum illius non foret infallibile.

Ad Auctoritates quod attinet, quas objicit: Concedo verum esse quod dicit August. Lib. contra Epist. fund. epist. 4. Tenet me in Ecclesia consensus omnium populorum, tenet me veritas miraculorum & Epist. 9. Infirmata Catholicorum auctoritate; jam nec Evangelio credere potero: quia per eos illi credideram. Sed his locis aliisque, quæ recitat, non tribuitur motivis illis, ratio formalis motiva credendi: neque enim illic quidquam de hoc motivo. Deinde admittimus & nos motiva credibilitatis in fide, quæ sunt quasi inchoativa, ut postea fides, suo nitatur fundamento.

Objicit Sextò. Argumentum quod sibi opposuit Rosm. Si prima veritas crederetur propter revelationem, non crederetur propter revelationem quamcunque, sed propter infallibilem. Ergo veritas Divina creditur, ut objectum materiale, propter se ipsam, ut objectum formale; ex quo sequitur processus in infinitum: quia quando creditur veritas Divina ut constituens Revelationem Divinam in esse infallibilis, vel creditur propter se ipsam independentem à revelatione, vel dependenter primum non; quia omnis actus fidei innititur revelationi. Si secundum dicatur, credit argumentum cum non credatur propter revelationem quamcunque, sed infallibilem, de qua ipsa redit quaestio, quomodo credatur?

RESPONDETUR. Non dandum tunc processum in infinitum: quia crederetur quod est veritas Divina propter infallibilem revelationem, quæ tamen, quia sibi ipsi esset infallibilis, terminaret processum.

Objicit Septimò. Arriaga d. I. n. 58. Antequam homo credat, debet habere prudentia motiva credibilitatis. Ergo etiam ut credat Deum esse veracem.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Sed illis motivis positis, negatur posse formari actum fidei, nisi propter Quia Deus dixit.

INSTAT. Ponamus Angelum aliquem incapacem erroris & mendacii, nunquid propterea, nisi quis rationem aliquam ejus veritatis mihi proponat, potero ego prudenter dicere. Credo illum Angelum esse essentialiter veracem, quia de se dicit.

RESPONDETUR. Non posse credi praedenter nisi positis praerequisitis. Ceterum in consequenti, illisque suppositis, si volo elicere actum fidei de illius veridicitate, non potero id facere, nisi propter, quia dicit de se.

Punctum Difficultatis

Inferitur qualis sit processus in Actum Fidei.

Syllogismus quem aliàs appellavimus *Fidelum*. Sin principiis nostris est talis. Omne quod Deus dicit, est credendum quia Deus dicit. Sed Deus dixit v. g. se esse incarnatum. Ergo DEUM esse incarnatum, credendum est quia Deus dicit. Ubi major pro motivo habet Dei veracitatem, quæ se habet per modum motivi, ita tamen ut actus ille fidei, sit mediatum, quia fit propter motivum, quod est Deus dixit. Minor autem habebit assensum immediatum, quia ipsum Ly *Dixit Deus* complectetur. Conclusio etiam involvet actum fidei, quia involvet ipsum Ly *Deus dixit*. Sic debere formari praedictum Syllogismum, ostendunt superius dicta, & infra dicenda, ubi de motivis credibilitatis.

Quæ contra objici possent, desumi possunt ex Haunoldo aptando ea quæ ipse opposuit Syllogismo fideli, prout eum formavit Lugo. *Hinc cum illo*

Objicitur Primò. Exiis quæ habet libro tertio, 69. Revelationes Dei non debent esse inutiles; sed conducere ad instructionem nostræ ignorantiae: juxta illud Pauli, quod omnis Scriptura Divinitus inspirata, utilis sit ad docendum: frautem tenet praedictus Syllogismus, non ad aliud servit, quam ut assentiamur veritati, reflexè, propter eandem veracitatem, directè cognitam, hoc autem nullam habet aestimabilem utilitatem.

RESPONDETUR. Inprimis retorquendo argumentum: Sic in Principiis suis formavit praesentem Syllogismum Haunoldus. Omne quod Deus summè verax revelavit, esse incarnatum, est incarnatum. Sed verbum est aliquid, quod DEUS summè verax revelavit esse incarnatum. Ergo Verbum est incarnatum. Qui Syllogismus si argumentum tenet, non procederet debite, quia non esse utilis ad instructionem nostræ ignorantiae; quid enim instructionis habet, quod scilicet Revelatio, inferens esse incarnatum, inferat esse incarnatum & si inutile est, assentiri veritati reflexè, propter eandem veracitatem, directè cognitam, nec in praesenti adfert utilitatem assentiri Revelationi esse incarnatum quod est incarnatum: aptabiturque intento Lugonis quod pro se adfert Obiciens: & si est utile, credere quod id sit incarnatum quod Deus summè verax revelavit incarnatum, utile etiam erit credere id quod Deus dixit, quia Deus dixit. Deinde: forte hoc

hoc argumentum non petit formatum superius Syllogismus: potius enim in illo ostenditur fidei motivum esse Ly Deus dixit, & non inducitur assensus veracitati reflexæ, propter veracitatem directe cognitam. Denique ostenditur utilitas prædicti Syllogismi, quia scilicet inducitur Fidelis in æstimationem veracitatis Divinæ, quam solam apprehendit, tanquam sufficiens motivum.

Objicitur Secundo. Si ita formandus est ille Syllogismus, sequitur, nullum mysterium fidei credi directe, sed semper reflexe: quod est contra omnium sensum.

Respondetur. Quod sit in oppositum sensus communis Doctorum, non satis liquet. Cæterum distinguenda est hæc reflexio: nam si nomine reflexionis veniat, quod scilicet nullum sit mysterium fidei (excepta prædicta Majore) quod non credatur nisi propter Ly Deus dixit, cui jam præbitus est in Majori assensus: hoc sensu, concedo omne mysterium fidei, reflexe cognosci, licet non cognoscatur, aliqua alia reflexione. Imo puto non posse aliter exprimi creditionem de Incarnatione nisi per terminos prædictæ conclusionis. Credo enim Incarnationem, formalissimè importat assensum, quia DEUS dixit, cum omne credo, sit assentior propter Ly Dixit. Per quod etiam ostenditur bonitas prædicti modi formandi Syllogismus, quia solus ille importat actum credendi mysterio, qui actus credendi, cingitur illa conclusione, cingique debet.

Objicitur Tertiò. Si tenet prædictus Syllogismus, posset ex duabus præmissis affirmativis inferri Conclusio negativa, quod est contra Regulas Logicæ. Probatur Seqv. exemplo. Quidquid Deus dicit est verum. Sed DEUS dicit Adamum non obedivisse præcepto. Ergo Adam non obedivit.

Respondetur. Syllogismi prædicti hanc debuisse formari conclusionem. Ergo Adamum non obedivisse præcepto, est verum: quæ propositio non est negativa, sed affirmativa. Et certè aliud est formari Conclusionem Negativam, & aliud subjectum poni Negativum cum copula affirmativa. Ex duabus affirmativis non potest poni Conclusio Negativa, ut demonstrant Dialectici; potest poni subjectum Negativum, ut in præsentī ponitur, præcipuè cum hoc ipsum subjectum Negativum præcesserit cum sua Negatione, in præmissa affirmativa.

Quæres. Quid sit tenendum de Syllogismo prout eum formavit Haunoldus num. 72. Omne quod Deus summè verax revelavit esse incarnatum, est incarnatum: Sed verbum est aliquid, quod Deus summè verax, revelavit esse incarnatum. Ergo verbum est incarnatum. Videtur non legitime, nec secundum conditionem credendi, formari hic Syllogismus. Nam in primis motivum illius Majoris nullum poni-

tur, etsi dicatur esse in terminis Nota, facient in contra, argumenta superius allata. Si dicatur credi illam, exprimi debuisset motivum credendi, ut superius dictum. Deinde debet hic Syllogismus ita formari, ut assensus Conclusionis, contineat immediatè, non tantum articulum fidei, sed etiam ipsum credendi actum, idque ex eo: Quia Conclusio, est ultimum complementum & definitivum ut ita dicam assensus, quiesque affirmandi vel negandi in illa linea. Porro Ly verbum est incarnatum, non ostendit quidquam de illa creditione, sed simplicem affirmationem, quod verbum sit incarnatum, adeoque non habet quidquam de linea credendi, nec habet expressionem ipsiusmet fidei, seu assensus quia Deus dixit, quod tamen requiritur, ad actum fidei: idque ex eo: Quia Conclusio Syllogismi fidelis, importat jam finitum processum, qui erat necessarius ad credendum, exprimereque debet assensum distinctum à reliquis assensibus, quod non exprimit illa propositio: Ergo verbum est incarnatum: & sicut Conclusio Metaphysica, exprimit assensum debitum Metaphysicæ, Conclusioque Metaphysica, debet esse formalissimus Metaphysicus actus; ita & Creditio, includi debet in Conclusionem Syllogismi fidelis, quia illa, est formalissimus Actus fidei.

DIFFICULTAS III.

Revelatio extrinseca quomodo se habeat ad rationem formalem Propter quam Fidei?

Revelationem extrinsecam ingredi formaliter motivum fidei docet cum Communi Suar. Vasqv. Valentia, Koninck disp. 9. dub. 4. Lugo disput. 1. sect. 7. Pont. disp. 27. num. 7. Ripalda disp. 2. num. 115. Arriaga disp. 2. num. 4. Oviedo contr. 2. num. 48. Negat autem Cajetanus & Aureolus.

Punctum Difficultatis 1.

Distinguitur & Probatur Conclusio.

PRÆMITTO Primò. *Revelationem dupliciter spectari posse. Activam seu intrinsecam & passivam seu extrinsecam. Activa revelatio nihil aliud est, nisi ipsa veritas prima in dicendo, prout est actu principium internum, dictionis externæ. Passiva autem, est aliquid creatum, extrinsecumque signum, & effectus illius veritatis in dicendo, qualis est, exempli gratia interna illuminatio, formata voces à DEO.*

PRÆMITTO Secundò. *Conformer hinc de ista revelatione passiva discurrendum esse, ac discurrendum de actu Dei libero: sicut enim communius, à non esse volentis mundum, ad esse volentis mundum, transit Deus mutatione ad extra in Creaturis facta; sic etiam à non esse dicentis actu, ad esse dicentis actu, transit DEUS mutatione ad extra in Creaturis posita; hoc est signo aliquo, quo DEUS manifestet suum conceptum*